

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Urkunden und Akten der Stadt Strassburg**

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

**Wiegand, Wilhelm**

**Straßburg, 1879**

1219

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

cellarius<sup>1</sup>, Ludowicus comes palatinus Reni et dux Bawarie<sup>2</sup>, Wernherus de Bonlant dapifer et Anshelmus de Justingen marscalcus imperii, Philippus de Bonlant, Heinricus de Sarffeneke et alii plures. datum Hagenowe anno domini 1219, 3 idus januarii, indictione 7.

*S aus Straßb. St. A. Briefbuch A fol. 23<sup>a</sup> mit der Ueberschrift: daz kúnig Friderich und kúnig zû Sicilien die stat zû Strazburg sinre und aller der, die zûm ryche gehörnt, schatzungen ledig het geseit und varn het gelaszen.*

*Gedruckt ebendarnach bei Schöpflin Als. dipl. I, 335 nr. 411 = Huillard-Bréholles Hist. dipl. Frider. sec. I, 582. — Böhmer nr. 247.*

173. *In der Urkunde König Friedrichs II für das Kloster Neuburg unter den Zeugen: Reinhardus majoris Argentinensis ecclesie prepositus, Bertholdus ejusdem ecclesie decanus, Heinricus Argentinensis episcopi vicedominus. 1219 August 17 Hagenau.*

*Aus Würdtwein Nova subs. dipl. XIII, 236 nr. 45 (ex autogr. tabul. abbat. Neoburg.) = Huillard-Bréholles Hist. dipl. Frider. sec. I, 663. — Böhmer nr. 291.*

174. *König Friedrich II nimmt die Stadt Straßburg in seinen besondern Schutz und bestätigt ihr die von den Königen Lothar und Philipp ertheilten Privilegien. 1219 September 11 Hagenau.*

(C.): In nomine sancte et individue trinitatis. Fridericus secundus Romanorum rex et rex Sicilie: augustialis pietatis [weiter wie in Nr. 145 bis decrevimus reservare]. preterea constituimus, tradidimus et auctoritate regia consensuque principum nostrorum confirmavimus institutum et jus quoddam, quod cives ejusdem civitatis habuerunt ab antecessoribus nostris dive memorię Lotharii et Philippi Romanorum regibus gloriosis, ut nullo unquam in loco ab aliqua persona seculari sive ecclesiastica aliquis eorum extra formam juris inpediatur aut molestetur vel in iudicium trahatur extra civitatem vel prorsus ab aliquo cogatur pro sua proprietate seu possessione ibi cuiquam respondere, sed, si aliquis adversus aliquem eorum aliquid habuerit, infra civitatem coram ipsius civitatis iudicibus eum impetat ibique ei respondeat et satisfaciat. advocati etiam, quorum censuales infra civitatem domos habuerint aut manserint, censum debitum ab eis in civitate accipiant et, si supersederint vel dare noluerint, iusticiam et satisfactionem coram iudicibus civitatis inde accipiant. volumus itaque fideles nostros cives Argentinenses consistere in omni jure et honore atque constitutione, sicut a divis progenitoribus nostris, avo, patre atque patruo nostro inclitis Romanorum regibus et imperatoribus eorum sublimati fuerunt temporibus, statuente et regio edicto districte precipientes, ut nulli unquam personę alte vel humili, ecclesiastice sive seculari hanc nostre donationis seu confirmationis divalem paginam licitum sit

<sup>1</sup> Cfr. nr. 160 not. 1.

<sup>2</sup> Cfr. nr. 160 not. 3.

infringere vel etiam aliquo improbitatis ausu ei obviare. quod qui facere presumpserit, triginta libras auri componat, medietatem fisco nostro, residuam vero medietatem injuriam passis. ut autem hec concessio sive confirmatio nostra inviolabiliter ipsi civitati Argentinensi observetur, presentem exinde paginam conscribi jussimus  
 5 et regie magestatis karactere consignari. testes hujus rei sunt Heinricus Argentinensis episcopus, Heinricus Basiliensis episcopus<sup>1</sup>, Oulricus abbas sancti Galli, Hugo abbas<sup>a</sup> de Murbach, Wolframms abbas de Wizenburc<sup>b</sup>, Gerhardus comes de Diechs, Oulricus comes de Kyburc, Egeno comes de Ura, Hartmannus comes et  
 10 Ludewicus comes de Wirtenberc, Sigebertus comes de Werda et filius ejus Heinricus comes, Heinricus de Nife, Heinricus de Sax, illustris princeps Heinricus dux Suevie<sup>2</sup>, Theobaldus dux Lotaringie<sup>3</sup>, Anshelmus<sup>c</sup> de Rapoltsteine, Anshelmus de Justingen marscalcus, Eberhardus de Waltburc dapifer, Dietho de Ravensburc, Cunrat de Wisterstede, Rudolfus de Usenberc et de Winisberc et alii quam plures.

: Signum domini Friderici secundi Romanorum regis invictissimi et regis  
 15 Sicilie. : (M.)

Actum apud Hagenowe anno dominice incarnationis 1219, regnante domino Friderico Romanorum rege gloriosissimo anno regni ejus 7. ego Cunradus Metensis et Spirensis episcopus<sup>4</sup> imperialis aule cancellarius recognovi<sup>d</sup>.

Datum apud Hagenowe 3 idus septembris, indictione 6<sup>5</sup>.

20 *S aus Straßb. St. A. AA art. 1 nr. 5 or. mb. c. sig. pend. delapso.*  
*Gedruckt ebendarnach bei Huillard-Bréholles Hist. dipl. Frider. sec. I, 677. Nach Briefbuch A fol. 19<sup>a</sup> i. Straßb. St. A. bei Schöppfin Als. dipl. I, 338 nr. 414. — Böhmer nr. 300.*

175. *König Friedrich II bestätigt dem Straßburger Hospital seinen gesammten Besitzstand, namentlich das von König Konrad III demselben ertheilte Privileg.*  
 25 *1219 September 11 Hagenau.*

(C.) : In nomine sancte et individue trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum rex secundus et rex Sicilie. : tunc vere reges sumus, si id, quod hominum ore dicimur, sollicita animi intentione adimplemus, si personam divitis non adtendentes clamorem pauperum intra exauditionis effectum clementer  
 30 admittimus. quocirca noverit omnium dei fideliumque nostrorum tam futuri quam presentis temporis industria, quod interventu fidelissimi principis nostri Cunradi Metensis et Spirensis venerabilis episcopi nostrique cancellarii<sup>4</sup>, cleri etiam ac populi Argentinensis civitatis precibus pia mansuetudine inclinati hospitali, quod ante

35 a) *S albas.* b) *Ueber dem c in Wizenburc ein unten offner Haken mit Punkt darunter, ebenso über dem a in Ura, jedoch ohne Punkt, und über dem x in Sax mit Punkt. Vielleicht ein Zeichen zur Scheidung der Zeugen nach Ständen?* c) *S Anshelmus.* d) *S recogno.*

<sup>1</sup> *Heinrich II von Thun Bischof von Basel, 1215—1238.*

<sup>2</sup> *Heinrich Herzog von Schwaben, 1216—1235.*

<sup>3</sup> *Theobald I Herzog von Lothringen, 1213—1220.*

40 <sup>4</sup> *Cfr. nr. 160 not. 1.*

<sup>5</sup> *Die Indictionsziffer um 1 zu niedrig.*

portam templo majori Argentinensi oppositum edificatum est, damus, concedimus et confirmamus usus et bonas consuetudines, quas habuit temporibus antecessorum nostrorum dive memorie Romanorum regum et imperatorum tam infra civitatem quam extra. et nominatim confirmamus privilegium et omnes concessiones, quas recolende memorie magnus patruus noster Cunradus rex ei indulisit et concessit<sup>1</sup>, et eandem domum hospitalis sub regie nostre tuitionis ac defensionis manum cum omnibus inibi appendentibus accepimus tam videlicet ea, que ibidem ex fidelium largitione presenti tempore pertinere noscuntur, quam illa, que in futurum de piorum elemosinis justis modis et rationibus ad eandem pauperum domum conferentur. confirmamus itaque et per nostram immunitatem ab universorum hominum dominio ad hospitale predictum et usus pauperum emancipamus scilicet unam curtem extra civitatem retro sanctum Michaelem sitam, cujus possessores octo uncias denariorum et octo gallinatos singulis annis persolvant, nisi eadem possessio ex consensu heredum sub fructuosioris summa pensionis locari valeat. decimam quoque partem oblationis, que ad sanctam Crucem voto fidelium infertur, sicut episcopo et tota civitate Argentinensi annuente ad idem xenodochium concessa est, et curtem quandam in foro juxta locum, qui dicitur Salzhof, de quo sub annuo censu sex quartalia tritici et duo quartalia leguminis solvuntur, sed et tabernacula, que vulgo lobia dicuntur, juxta murum versus portam, que dicitur sellatorum, sed et unam curtem singulis annis duos solidos dantem inter eandem portam et proximum pontem sitam pari libertatis honore ad predictam venerabilem domum roboramus. preterea duas curtes extra portam civitatis versus sanctum Michaelem et in villa Schilticheim omnia bona ejusdem domus et in villa Lamperheim necnon in Kunigishoven et in Ilenchirchen et in Bersteden, in villa quoque Ergirsheim curtes et agros tam viniferos quam frugiferos et in Wichirsheim et in Vennenheim et in Hermotisheim, locum etiam macellorum univ-  
erse civitatis coniventia ibidem contraditum, sed et molendinum in Oteriswert cum aque decursu dimidio, de quo molendino fratribus sancti Thomę singulis annis viginti tres denarii solvuntur, atque duo jugera in Hohenheimvelt ad prefatam peregrinorum et pauperum domum fidelium oblatione contradita sub nostre protectionis custodia stabilimus. hec autem, que predicta sunt, et cuncta, que tam nostris quam futuris temporibus homines predictę domus et omnes imperpetuum eorum successores justis rationibus vel adquisierunt vel acquirere poterunt, sub tali regie potestatis privilegio ad predictam domum immunitate perhenni roborando et muniendo confirmamus, ut nulla ecclesiastica secularisve persona jus aut potestatem habeat omnibus, que ad hospitalem domum pertinent, vias publicas et usum aque et pascuorum interdicendi. et ut hec omnia perpetua firmitate rata sint vel alicujus presumptoris infestatione convelli nullatenus possint, presentem paginam nostre manus subscriptione roboratam sigilli nostri inpressione insigniri jussimus. testes vero, qui interfuerunt, subternotari fecimus<sup>2</sup>: Henricus Argentinensis episcopus, Hein-

<sup>1</sup> Cfr. nr. 94.

<sup>2</sup> Vergl. die Zeugenreihe von nr. 174.

ricus Basiliensis episcopus, Oulricus abbas<sup>a</sup> sancti Galli, Hugo abbas de Murbach, Wolframus abbas de Wizenbure, Heinricus dux Suevie, Gehardus comes de Diesch, Hartmannus comes et frater suus Ludewicus comes de Wirtenberc, Sigebertus comes de Werda et Heinricus filius ejus, Heinricus de Nife, Anshelmus de Rapoltisteine, Eberhardus de Waltbure dapifer, Anshelmus de Wusting<sup>b</sup> marscalcus, Dietho de Ravensbure et alii quam plures. actum ac datum apud Hagenowe 3 idus septembris.

: Signum domini Friderici secundi Romanorum regis et regis Sicilie invictissimi. : (M.)

10 Ego Cunradus Metensis et Spirensis episcopus et imperialis aule cancellarius recognovi anno incarnationis domini 1219, indictione 7.

*H aus Straßb. Hosp. A. lad. 1 nr. 2 or. mb. c. sig. pend.*

*Darnach im Auszug mitgetheilt i. d. Zeitschr. f. Gesch. d. Oberrh. XI, 188.*

15 **176.** *Bischof Heinrich von Basel sowie der Dekan Konrad und der Scholasticus Heinrich der Basler Kirche schlichteten als vom apostolischen Stuhl bestellte Richter einen Streit zwischen dem Straßburger Domcapitel und den Herren von Rappoltstein, Abgaben von Sigolsheimer Gütern betreffend. 1219 October.*

Ut fides et memoria futurorum cautela presentium debita firmitate roboretur, noverint universi tam futuri quam presentes hanc paginam inspecturi, quod ego  
20 Heinricus Basiliensis episcopus<sup>1</sup>, Cūnradus decanus et Heinricus scolasticus ejusdem ecclesie judices super controversia inter capitulum Argentinense ex una parte et Egilolphum et Anselmum fratres de Raboltestein milites ex altera a sede apostolica delegati, que inter ipsos de censibus quibusdam possessionum in Sigolteshein  
25 sitarum ad idem capitulum pertinentium vertebatur pro servitio quolibet anno exsolvendis, sic ipsam controversiam nobis presentibus et auctoritate nostra amicabiliter inter eos decisam presenti scripto protestamur: videlicet quod dicti Egilolphus et Anselmus et ipsi pro eorum heredibus per stipulationem se singulis annis capitulo Argentinensi proxima septimana ante purificationem sancte Marie tres frischingos  
30 claustrales porcinos, quatuor amas vini et dimidiam, . . .<sup>c</sup> quartalia frumenti deinceps obligarunt soluturos. que si tunc persolvere neglexerint, ex gratia deinde habent spatium usque ad dominicam, qua cantatur esto mihi, idem adhuc persolvendi. si autem et tunc predicta persolvere supersederint, quinque libras Argentinensis monete, que tunc in usu fuerit, capitulo solvere tenebuntur. quas si etiam usque ad mediam quadragesimam non persolverint, jam dicte possessiones, unde  
35 dicta pensio debet persolvi, extunc libere et sine contradictione cum integritate qualibet ad manus capituli Argentinensis devolventur. hoc etiam pactum se promi-

Febr. 2

a) H albas. b) Wohl Schreibfehler für Justingen. c) Lücke von 4—6 Buchstaben durch Riß entstanden.

<sup>1</sup> Cfr. nr. 174 not. 1.

serunt servaturos, renunciantes foro eorum appellationi et generaliter omni exceptioni 5  
 ipsis militibus vel eorum heredibus contra predicta competenti, promittentes nichilo-  
 minus omne dampnum et expensas propter hec a capitulo memorato faciendas  
 integraliter refecturos. ut igitur supradicta debitam et perpetuam obtineant firmi-  
 tatem, littere presentes ad petitionem partis utriusque sigillorum nostrorum appo-  
 sitione sunt communitate. acta sunt hec anno dominice incarnationis 1219, mense  
 octobri in presentia Reinhardi prepositi majoris ecclesie Argentinensis, Friderici  
 cantoris, Ulrici scolastici, Hermanni portarii, Rüdolphi prepositi sancti Thome et  
 aliorum. fratres etiam illi de Raboltestein hoc scriptum sigillo suo ex pacto inter  
 eos convento communiunt, ut, si unquam contra predicta venire presumpserint, 10  
 sigillum proprium ipsis valeat efficaciter obviare.

*B aus Straßb. Bez.-A. G fasc. 2722 or. mb. c. 3 sig. pend. laesis. Ganz abgefallen ist das  
 Siegel des Baseler Dekans, das Siegel der Rappoltsteiner zeigt in verschwommenen Um-  
 rissen ein Castell.*

177. *Das Straßburger Domcapitel verlehnt dem Goldschmied Walther eine Hofstätte. 1219.* 15

Reinh[ardus] prepositus, B[ertoldus] decanus, F[ridericus] cantor, Ou[lricus]  
 scolasticus totumque capitulum majoris ecclesie in Argentina. notum sit universis  
 Christi fidelibus, tam presenti etati quam future posteritati, presens scriptum audien-  
 tibus, quod nos de communi consilio aream unam juxta curiam domine Irmengardis  
 sitam, quam ex donatione felicis memorię Eberhardi filii domini Walteri et domine  
 Hedewigis uxoris fratris sui domini Walteri habuimus, Waltero aurifici hereditario  
 jure perpetualiter possidendam concessimus, tali tamen pacto interposito, ut annuatim  
 in festo sancti Johannis baptiste quatuor unceas et in nativitate domini quatuor  
 unceas et in festo sancti Martini duos capones, omni ambiguitate remota, nobis  
 persolvat<sup>a</sup>. heredes quoque sui et omnium possessorum istius aree in mutatione  
 medietatem census, qui vulgo dicitur erscaz, dare non tenentur, nisi forte per  
 donationem vel venditionem ad aliorum manus devolvatur, illi tantum daturi sunt  
 honoris causa, quantum est medietas census. insuper in pactione positum est, quod,  
 si istius aree possessores in terminis pretaxatis debitum censum non exsolverint et  
 contra voluntatem nostram detinere presumpserint, stabilitatem ulterius non habeat  
 hec nostra concessio, sed eadem area libere ad manus nostras revolvatur. et ut res  
 ista firmior maneret atque stabiliior, eam fecimus mandari litteris et sigilli nostri  
 munimine corroborari. actum publice anno incarnationis domini 1219, indic-  
 tione 7. 35

Juni 21  
 Dez. 25  
 Nov. 11

*B aus Straßb. Bez.-A. G fasc. 2703 or. mb. c. sig. pend. laeso.  
 Gedruckt aus dem lib. sal. 1347 bei Würdtwein Nova subs. dipl. XIII, 241 nr. 47.*

a) B persolvant.

178. *Das Straßburger Domcapitel verlehnt eine Hofstätte an Rudolf Blumerdrosst. 1219.*

Reinh[ardus] prepositus, B[ertoldus] decanus, F[ridericus] cantor, Ou[lricus] scolasticus totumque capitulum majoris ecclesie in Argentina. notum fieri volumus  
 5 universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, ad quos presens scriptura venerit, quod nos deliberato consilio aream unam juxta curtim domine Irmengardis sitam, quam ex donatione felicitis memorie Eberhardi filii domini Walteri et domine Hedewigis uxoris fratris sui domini Walteri habuimus, Rudolfo Blumerdrosst hereditario jure perpetualiter possidendam concessimus, tali tamen pacto, quod annuatim  
 10 in festo sancti Johannis baptiste quatuor unces et in nativitate domini tantumdem et in festo sancti Martini 2 capones sine difficultate nobis inde exsolvat et quod heredes sui in mutatione ejusdem aree medietatem census, qui vulgo dicitur erscaz, dare non teneantur, nisi forte per donationem vel venditionem ad aliorum manus devolvatur, illi tantum daturi sunt honoris causa, quantum est medietas census.  
 15 insuper in pactione positum est, quod, si istius aree possessores<sup>a</sup> in terminis pre-taxatis debitum censum non exsolverint et contra voluntatem nostram detinere presumpserint, stabilitatem ulterius non habeat hec nostra concessio, sed eadem area libera ab omni pactione ad manus nostras revertatur. et ne hoc factum in posterum ab aliquo calumpniari possit aut in oblivionem devenire, presens scriptum  
 20 sigillo nostro communitum ei concessimus in testimonium. actum anno ab incarnatione domini 1219, indictione 7.

Juni 24  
 Dez. 25  
 Nov. 11

*B aus Straßb. Bez.-A. G fasc. 2703 or. mb. c. sig. pend. laeso.*

179. *Bischof Heinrich von Straßburg gestattet dem St. Thomascapitel, die Einkünfte der St. Aurelienparochie zum eignen Unterhalt zu verwenden. 1219.*

25 In nomine sancte et individue trinitatis. ego H[einricus] divina miseratione Argentinensis ecclesie minister humilis omnibus presentem paginam inspecturis salutem in salutis auctore. quecunque divino intuitu circa ecclesias et ecclesiasticas personas salubriter ordinantur, ne curriculo temporum vel mutacione personarum deinceps in dubium revocentur, dignum est ea per scripturam et honorum  
 30 testimonia perpetue memorie commendare. notificandum itaque digne duximus universis tam presentibus quam futuris et vivaci omnium memorie tenaciter imprimendum, quod, cum ecclesia sancti Thome propter scisma imperii et frequentes bellorum insurgentium pressuras admodum foret in redditibus attenuata, nos illius paterne pietatis visceribus inopie condolentes data opportunitate curavimus in parte  
 35 paupertatis ejus onera sublevare. sane capitulum ecclesie prelibate quandam habet parrochiam, que sancta Aurelia nuncupatur, sitam in suburbio civitatis, in qua jus habere noscitur presentandi, nec licebat hactenus de illa nisi fratrum ejusdem ecclesie per electionem aliquem investire. hec itaque cum defuncto pastore vacaret,

a) B possessores.

capitulum supradictum nobis humiliter supplicavit, ut ad supplementum et subsidium prebendarum, que eis vix etiam tenuiter poterant ministrari, prefate vacantis ecclesie proventus eis dignaremur misericorditer indulgere. quorum devotis precibus inclinati respondimus eis, sicut decebat, quod, si possent hanc indulgentiam a benignitate apostolice sedis impetrare, nos eciam eis nostrum in hac parte consensum minime negaremus. cum igitur non sine labore et expensis memoratum capitulum hoc impetrasset apud sedem Romanam et super hoc ipso nobis autenticum domini pape<sup>1</sup> porrexisset, de consilio et assensu capituli nostri, salvo tamen per omnia jure cathedralis ecclesie, memoratam parrochiam cum omnibus attinenciis tam in dote quam in decimis et oblationibus jam dictis fratribus ad honorem et laudem dei et divinum obsequium liberius et devocius exequendum pleno jure concessimus possidendam et ad communes usus suis cottidianis necessitatibus applicandam. annotata sunt autem in testimonium hujus rei nomina religiosorum, quorum approbatione hec acta sunt, ut illorum etiam attestacione nostra firmetur auctoritas: Reinhardus prepositus majoris ecclesie, Berhtoldus deccanus, Fridericus cantor et custos, Hermannus de Erinberc portarius, Ulricus scolasticus, Ulricus de Hovewilre dapifer, Diethelmus presbiter et ceteri ejusdem ecclesie canonici; Rudolfus prepositus sancti Thome, Heinricus deccanus, Dietherus cellerarius, Uuernherus pincerna et dapifer, Heinricus scolasticus, Hug portarius, Johannes cantor; Reiboldus deccanus sancti Petri, Cunradus portarius, Uuernherus presbiter, Uualtherus presbiter, Jacobus abbas de Nūwilre, Burchardus abbas de Swarzahe, Godefridus abbas de Gengenbach, Hug prepositus sancti Arbogasti et alii quam plures. acta sunt hec anno ab incarnatione domini 1219.

*T aus Straßb. Thom. A. lad. VI s. Aureliæ or. mb. c. sig. pend.*

*Gedruckt ebendarnach bei Ch. Schmidt Hist. du chap. de s. Thom. p. 299 nr. 16.*

180. *Bischof Heinrich von Straßburg schließt mit dem Straßburger Vogt Anselm einen dessen Lehnverhältniß regelnden Vertrag. 1219.*

: In nomine sancte et individue trinitatis amen. Heinricus divina favente clementia Argentinensium episcopus. : cum id, quod a presentibus interdum pingeritur intentione ac provida deliberatione statuitur, frequenter a posteris ex memorie quandoque defectu plerumque et hominum malicia vel penitus in irritum vel ad minus in dubium quoque soleat revocari, necessario ad cautelam provisum est, ut, ubi viva vox quoquo modo casualiter deficeret, mortua saltem in ejus locum rite subeundo probationem legitimam et fidem preteritorum scriptorum munimine futuris efficacem exhiberet. quia igitur divine dispensationis providentia omnium nostre diocesis ecclesiarum curam fidelem suscepimus, maxime tamen ecclesie nostre, cui specialius in omnibus sumus obligati, inde est quod nos, tam ad noticiam presentium quam post futurorum super contractu et conventionem de consensu et consilio

<sup>1</sup> Darunter dürfte wohl die Bulle Honorius III, 1218 Juni 1 Rom, zu verstehen sein, s. nr. 168.



capituli nostri et prudentum tam ministerialium quam civium nostrorum inter nos et ecclesiam nostram ex una parte et Anshelmum advocatum Argentinensem ex altera parte omnium scilicet feudorum suorum, que a nobis et ecclesia nostra tenebat in feudum, perducere cupientes, presenti scripto non solum pro nobis sed etiam pro ipso, ut utrique volenti ipsum infringere queat efficaciter obviare, publice et sollempniter protestamur, predictus enim *Anshelmus* advocatus in manibus nostris omnia feuda sua, omni exclusa conditione, libere et absolute renunciavit et ea denuo sub ea a nobis recepit pactione, quod, si unquam aliquo tempore contra formam inferius notatam venire presumpserit, universa, que a nobis tenet in feudum, incontinenti sine contradictione qualibet ecclesie nostre omni jure vacabunt, eo quidem adjecto, quod nos in advocatia Argentinensis civitatis tantum ad petitionem suam cognatos suos Heinricum et Marquardum pueros de Hunisvelt ipsum permisimus adoptare, sic videlicet: si contingat advocato mortuo ad optionem procedere, promissimus nos principaliter, secundo omnes de capitulo nostro, si contigerit<sup>a</sup> quemquam eorum nobis substitui, advocatia predicta pueros memoratos sine dampno quolibet vel etiam solario memoriali jure feudali indifferenter investire. promisit etiam idem advocatus, quod universas dictas possessiones cum omnibus pertinentiis suis, oppidis, villis, hominibus quacumque conditione peditis et specialiter oppidi Rinowe et ville Capele et advocatie in Ebirsheim, piscationibus, pascuis, silvis, nemoribus, pratis, agris cultis et incultis deinceps nullatenus debeat alienare vel obligare, sed omnia in potestate sua, quoad vixerit, integraliter retinere, ut sic post mortem suam omnia predicta libere et absolute ad ecclesiam Argentinensem et ejus utilitatem sine qualibet alienatione in perpetuum servitura revertantur. nos quoque sub eisdem conditionibus omnino possessiones easdem cum omni integritate, sicut proximo dictum et annumeratum est, si prefatus advocatus sine herede decesserit, sicut de quolibet articulo supra et infra contentorum semper intellegendum est, ecclesie nostre liberas et absolutas fideliter conservare promissimus, ad idem per omnia tam nos quam quemlibet nostrum successorem cum consensu omnium de capitulo nostro ac promissione speciali singulorum, fide etiam ab omnibus nobis super hoc corporali interposita, sub interminatione divini judicii firmiter astringentes. porro libertatem possessionum feudi ejusdem omnium, que ultra flumen, quod Kintzicha dicitur, inferius site sunt, nobis tantum et non successoribus nostris consulte, cuicumque decreverimus, reservamus infeudanda, predictis etiam adicientes, quod advocatia in Ebirsheim memorato advocato pro ducentis marcis, nepotibus suis Anshelmo et Egelolfo militibus de Rapoltsteine vel aliis, quibuscumque post mortem suam dandas legaverit, permaneat obligata. de quibus ducentis marcis in summa centum marcarum de feudo predicto ultra Kintzicham sito nobis reservando, ecclesiam nostram reddendam indempnem per eum vel per eos, quibus dictas possessiones infeudare decreverimus, nos constituimus personaliter obligatos, eo pacto etiam interposito, quod, quibuscumque dicte ducente marce fuerint legate, idem legatarii de patrimoniis suis vel aliis quibuscumque proprietatibus in ducen-

a) B contigeret.

tarum marcarum valentia sub estimatione bonorum virorum ecclesie Argentinensis  
 in proprietatem tribuant et easdem possessiones in feodum recipiant ab eadem vel,  
 si hoc magis placuerit, cum prefata pecunia possessiones emptas jure feodali ab  
 ecclesia recipere teneantur, nisi forte dictas ducentas marcas ecclesie vel ecclesiis  
 sive aliis quibuscumque personis intuitu pietatis in testamento reliquerit, quas ad  
 predictas condiciones, tamquam eas heredibus hereditariis reliquisset, non censemus  
 eadem pietate aliquatenus obligatas. hoc etiam inter cetera non obmittimus, quod  
 quinquaginta marce in numero ducentarum marcarum prefatarum, pro quibus  
 quinquaginta marcis alia de causa advocatia memorata ad presens illis de Rapo-  
 listeine extat obligata, in solutione earundem, si advocato vivente ab eo non fue-  
 rint<sup>a</sup> persolute, sunt precise computande. ceterum ut omnia predicta rata firmaque  
 permaneant, idem *Anshelmus* advocatus corporali prestito juramento promisit, se  
 universa sub omnipotentis anathemate fideliter et efficaciter conservaturum, renun-  
 tiando exceptioni fori, appellationi et legi « si ob es alienum » et breviter exceptio-  
 nibus universis super aliquo predictorum sibi vel jure civili vel canonico competen-  
 tibus, promittens etiam per stipulationem, omne dampnum et expensas universas,  
 quas propter hoc ecclesiam Argentinensem vel capitulum ejusdem ex facto suo vel  
 negligentia subire contigerit, integraliter se refecturum. et versa vice tam nos et  
 successores nostri quam capitulum nostrum ad idem per omnia, alterutro predicta  
 excedente, ad universa memorata sub eadem forma, sicut proximo dictum est, per-  
 maneant obligata, eo tamen ex parte advocati retento, si casu quolibet in aliquo  
 predictorum ipsum ignoranter excedere contigerit, non prius reatu perjurii teneatur,  
 quam a nobis vel a nostro capitulo vel ministerialibus de hoc premonitus infra sex  
 septimanas satisfactionem omnimodam extunc negligat exhibere. pro supradictis  
 autem omnibus et sub eadem forma faciendis penitus et servandis curtem nostram  
 in Biscovisheim pro quinquaginta marcis et in vico nostro Argentinensi in redditibus  
 novem talenta pro triginta marcis usque ad solutionem ejusdem pecunie presenti  
 anno ante festum sancti Johannis baptiste et deinceps singulis annis ante idem  
 festum persolvendam ipsi obligavimus, incontinenti optione nobis retenta, quod vel  
 curiam advocati in platea vituli sitam ab eodem advocato quandoque venditam a  
 nobis recomparatam sibi tribuamus vel quadraginta marcas de pretaxata pecunia ei  
 persolvamus, e contrario advocato electione relicta, quod villam nostram in Northus  
 a quolibet detentore liberatam pro aliis triginta marcis jure feodali concedamus  
 vel eandem pecuniam ad plenum sibi solvere teneamur, possessionibus supradictis,  
 quamdiu ista, sicut supradictum est, non fuerint expedita, titulo pignoris semper  
 obligatis. ut autem hic noster contractus adeo rationabilis et legitimus perpetuo  
 inviolatus permaneat, presentem inde paginam conscribi statuimus et nostri sigilli  
 ac capituli majoris ecclesie necnon dicti *Anshelmi* advocati Argentinensis sigillorum  
 impressione fecimus communiri. acta sunt hec anno domini 1219, indictione 7.  
 hanc paginam illesam servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, illam temere  
 infringentes in extremo examine districte subiaceant ultioni. testes hujus rei sunt :

Juni 21

a) B fuerint.